Liegnitz, Geo. Rud., 1650. Jan. 22

SACRUM ANNIVERSARIUM

NATALIS QUINQUAGESIMI SEXTI,

ILLUSTRISSIMI CELSISSIMIQ. PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. GEORGII RUDOLPHI,

DUCIS SILESIÆ LIGNICEN. AC BREGENSIUM;

SAC. CÆS. REGIÆQ. MAJEST. CONSILIARII ET CUBICULARII, AC SUPREMÆ PER UTRAMQ. SILESIAM PRÆFECTURÆ ADMINISTRATORIS LONGE MERITISSIMI,

MUSAGETÆ ET EVERGETÆ MAXIMI,

XXII. JAN. AUSPICALIS MENSIS DIE D. VINCENTIO MARTYRI FESTO,

VRATISLAVIÆ SOLEMNI RITU CELEBRATUM

A

TOTI LIGIÆ DOMUI, AC INPRIMIS MAJORI DOMUS DEVOTISSIMO

CHRISTOPH. COLERO.

BRESLÆ, apud BAUMANNIANOS Hæredes.

ANNÆ PERANNÆ,
AC LIGII PRINCIPIS SALVTI
SAC.
SERA PIASTÆÆ STIRPIS TRADUCTA PROPAGO,
O PATER, O PRINCEPS, O SANGVEN DIS ORIUNDUM!
QUOD BONUM, FELIX, FAUSTUM, FORTUNATVMQ
TIBI PATRIÆQ. VNIVERSÆ SIT,
EN TVVS NATALIS LVI.
XI. KAL. FEBR. A. C. cIƆIƆcL.
SOLEMNI D. VINCENTIO GLORIOSO MARTYRI
FESTO,
ANNVENTE PRINCIPE PRINCIPVM,
DEO OPT. MAX.
AVSPICATO SIDERE
EFFVLSIT!
HVNC ANNIVERSARIVM DIEM
COMMVNIS PATRIA SILESIA,
INCLITI PRINCIPES AC ORDINES
CVM VNIVERSO POPVLO,
SOLEMNEM ET FESTVM AGVNT,
NON GENTILI RITV,
PVLTE FRITILLA, LACTE, FLORIBVS, THVRE,
AVT VINO GENIVM PIANTES,
TANQVAM MEMOREM BREVIS ÆVI;
SED CHRISTIANO MORE,
ALLOQVIIS, HYMNIS, VERBIS AC PRECIBVS VOTIVIS,
DEVOTIVE SOLDVRIORVM LEGE CELEBRANTES;
QVOD SINGVLARIS DEI PROVIDENTIA
TE CÆLO SERENO MISSVM,
ILLVSTRISS. SILESIACO ORBI SOLEM,
QVI

v. Rhedigersche Stadt-Bibliothek zu Breslau.
547112

QVI VNIVERSVM IMPERII PATRII CORPVS
RADIIS JUSTITIÆ ET CLEMENTIÆ GEMELLIS
ACTEMPERATIS
ILLUSTRES,
AC LUMEN BENIGNO ASPECTU PATRIÆ,
CEU LUNÆ COMMODES,
ORIRI VOLUIT.
QUOD DIVINA INDULGENTIA
TE INTER SECUNDOS ET PROXIMOS
DIVINÆ MAJESTATI DEOS TERRENOS CONSTITUIT:
AC A DIVO PIASTO CÆLITUS
OLIM DESTINATO,
PER LONGAM MAIORUM TYORUM,
REGUM ET PRINCIPUM POLON. SILESIÆQ.
SERISSIME DERIVATO SANGVINE
ORIUNDUM,
AC VINCULO COGNATIONIS ET AFFINITATIS,
CHRISTIANI ET PAGANI ORBIS
AVGG. IMPP. CÆSS. ORIENTALIBUS
ET OCCIDENTALIBUS,
SERENISS. REGIBUS,
EMINENTISS. VII. VIRIS,
ILLUSTRISS. PRINCIPIBUS,
INTERNIS ET EXTERNIS,
ARCTE DEVINCTUM,
TAM SUMMO LOCO ET GENERE
PRÆEMINERE VOLUIT.
QVOD DIVINA GRATIA,
TE AMPLIS QVIDEM DOMI DOCTORIBUS,
MAIORIBUS TUIS LAUDATISS.

IN ILLUSTRI MONUMENTO AD INTUENDUM
POSITIS,
INCITANTIBUS AD IMITANDUM CALCARIBUS
ET STIMULIS;
SED ET MORTUIS AC VIVIS CONSILIARIIS,
VIRTUTIS, DOCTRINÆ, AC PRUDENTIÆ,
SALUTARIBUS GENERIS HUMANI
PRÆCEPTORIBUS,
DOMI FORISQ. LITERIS PEREGRINATIONI-
BUS OCCUPATUM
BENIGNE INSTRUXIT.
QUORUM FIDA OPERA DILIGENTIQ. STUDIO
ERUDITUS ES ARTIBUS ANIMUM AD
FORTUNÆ CULTUM EXCITANTIBUS.
ATQ. LENI MONITORUM ILLORUM FRENO,
CONCINNUM EX SAPIENTIA MODUM,
SUCCRESCENTE ÆTATE ET IUDICIO,
TIBI IPSI VALDE PROBATUM,
FELICITER RETINUISTI.
QUOD DIVINA VOLUNTAS,
TIBI A MERCATIBUS ILLUSTRIUM MENTIUM,
AC THEATRO EUROPÆ,
HOMINUM MORUMQ. TERRARUMQ. GNARISS.
FRUCTUOSA PEREGRINATIONE REVERSO,
ÆTATIS PRIVILEGIO ET JUDICII INCREMENTO
CAPACI IMPERII,
INITIO REGIMEN TUARUM DITIONUM
COMMISIT.
IN QUO LICET PROPRIA PRUDENTIA
TANTÆ MOLI SUSTINENDÆ PAR VISUS,
MUTUATITIA TAMEN INSUPER USUS,
VT

VT SAPIENTIOR FORES SAPIENTUM COM-
MERCIO,
ASSUMTIS IN PARTEM CURARUM PRINCIPALIUM
NEGOTIORUMQ. MAGNIS ADJUTORIBUS ADMI-
NISTRISQ.
VERIS, OPT. PRINCEPS, TUIS OCULIS, AURIBUS
LINGUIS, MENTIBUSQ. MANIBUS, PEDIBUSQ.
PROVINCIÆ, SUBDITORUMQ. PRUDENTISS.
SENILI SAPIENTIA ET VARIA FORTUNA
EXERCITATISS.
PIETATE, LIBERTATE, FIDE, CONSTANTIA,
ET ARTE SILENDI PRÆSTANTIBUS,
ATQ. SALUTARIA CONSILIA SUGGERENTIBUS,
LIGIAM ILLAM NAVIM PROPRIAM UT PERITUS
QUIDAM TIPHYS,
ADMINICULANTIBUS FIDIS ILLIS REMIGUM
OPERIS,
DUABUS ANCORIS FULTUS
SACRA ILLA DIVINA OPEI
ET TUA ALTERA RATIONE
IN MEDIIS CIVILIUM TEMPESTATUUM FLUCTIBUS,
SALUAM ET INCOLUMEM A NAUFRAGIO
COMMUNI PROXIME NUTANTEM
CONSERVASTI.
QUO EDITO EXPERIMENTO,
DIVINA MAJESTATE DIRIGENTE,
ET UNA ILLA MINORE, IN TERRIS
IMPERATORIA MAJESTATE,
TANQUAM SUPREMO ILLO CLASSIS RECTORIÆ
PALINURO, JUBENTE,
AC PATRIA ANNUENTE,
PUBLICA ET PRÆTORIA UTRIUSQ. SILESIÆ
GUBERNANDÆ NAVIS TIBI CREDITA EST.
QUAM

QUAM IN DECUMANIS HISCE TEMPESTATIBUS,
ET COMMUNI UNIVERSÆ PATRIÆ NAUFRAGIO,
RUPTIS PROPE, MALO, ANTENNIS ET FUNIBUS,
VELIS REMISQ.
CUM INTEGRAM SERVARE NON POTUISTI,
TABULAS TAMEN EX NAUFRAGIO COLLECTAS,
CUM DEO TUTELARI TUO SEMPER NAVIGANS
FELICITER RETULISTI.
AC UT GUBERNATOR DESÆVIENTE
PAULO TEMPESTATE GAUDET
VISIS BENIGNIS GEMELLORUM
POLLUCIS ET CASTORIS SIDERIBUS,
ITA TU SERENO DESIDERATÆ PACIS
ET TRANQUILLITATIS PUBLICÆ ASPECTU,
PORTUM BEATUM PROPE
ABESSE EXULTAS.
MACTE, PRINCEPS PIASTÆE,
HAC PRUDENTER ET FELICITER
GUBERNATÆ NAVIS PATRIÆ LAUDE GLORIAS.
PRUDENTISSIMI ET FELICISS. GUBERNATORIQ!
QUARE DEO TUTELARI ET CONSERVATORI,
TIBIQ. PATRI PATRIÆ CUSTODI AC VIGILI,
VOTIVAS TABULAS
LUBENTES SUSPENDIMUS:
QUOD TABULAS COMMUNIS NAUFRAGII
EX MEDIIS PROCELLIS COLLECTAS
DIVINA CLEMENTIA NOBIS INDULSERIT:
ET PORRO SUPPLICIIS INSTAMUS SUBMISSS.
UT TE PORRO IN PUPPI AD CLAVUM
SEDENTEM,
SALVUM ET INCOLUMEM,
UNA CUM PUBLICA PATRIÆ NAVI
IN NESTOREAM USQ. ÆTATEM SERVET,
NE

NE ILLA ADHUC LUBRICA IN PORTU NAUFRAGIUM ALIQUOD FACIAT.
ALTERAM TIBI OPTIME MERENTI
APPENDIMUS:
PRO INSOMNI VIGILANTIA, INDEFESSO
LABORE, ASSIDUAQ. OPERA TUA,
LOCO DONARII NATALITII,
GRATA GRATIARUM LIBAMINA
DEVOTISS. OFFERIMUS;
AC EX ANIMO SUPPLICES PETIMUS,
UT REGE REGUM LONGÆVITATEM
LARGIENTE,
DE DEO, CÆSARE, ET REP.
BENE LAUDABILITERQ. MERERI PERGAS.
SIC UNIVERSI ET SINGULI,
SUMMI, MEDIOXUMI, IMI,
IN TEMPLO ÆTERNITATIS,
INTER VETUSTISS. MAJORUM TUORUM
IMAGINES,
AD ARAM DIVÆ MONETÆ,
STATUAM IN OMNIUM SECULORUM
MEMORIA VICTURAM,
PONERE VOLUERUNT, UT DEBUERUNT;
CUM HOC EPIGRAMMATE MERITORUM
TUORUM SUMMARIO PRÆCONE

HEIC SITUS ANNOSI TRADUCTA PROPAGO PIASTI,
SLESIACIS PRINCEPS NOMINE, MENTE PARENS.
TAM BENE DE PATRIA MERITUS TELLURE QUADORUM,
HOC HABET ÆTERNUM MACTUS HONORE DECUS.

❧§)o(§❧

BIBL. UNIW. U WROCŁAW